

senioribus qui habent coronas aureas, isti autem similes auro, hæreses sunt quæ imitantur ecclesiam. Et habebant capillos sicut capillos mulierum.) In capillis mulierum non solum sexum effceminatum, sed utrunq; sexum uoluit intelligere & ostendere. Et habebant caudas similes scorpis, & aculei in caudis eorum.) Caudas, hæreticorum præpositos dicit, sicut scriptum est, Propheta docens mendacium, hic est cauda. Qui sunt pseudoprophetæ, & hi crudelia regū iussa implent. Habentes super se regem angelum abyssi.) Id est diabolum uel regē seculi. Abyssus populus est, Cui nomen Hebraice abaddon, Græce apollion, Latine perdens. Væ unum abiit, & ecce duo uæ uenient. Post hæc sextus angelus tuba cecinit.) Hinc incipit nouissima prædicatio. Et audiui unum ex quatuor angulis altaris aurei quod est in conspectu dei, dicente sexto angelo qui habebat tubam, Solue quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.) Altare quod est in conspectu dei ecclesiam uult intelligi, quæ in tempore nouissimæ persecutionis audeat uerba crudelissimi regis aut iussa cōtemnere, & ab obtemperatibus discedere. Solue quatuor angelos in flumine Euphrate.) Flumen Euphraten peccatorē populū dixit, in quo satanas & propria uoluntas ligata est. Euphrates autē fluuius est Babylonis, sicut Hieremias in medio Babylonis submittit librū in Euphraten. Et soluti sunt quatuor angeli.) id est, inchoata est persecutio: Parati in horam & diem & mensem & annū, ut occiderent tertiam partē hominum.) Hæc sunt quatuor tempora triennij, & pars temporis. Et numerus, inquit, exercituum bestię, myriades myriadum, audire numerum eorum:) sed non dixit quid myriadum, ut occiderent tertiam partem hominum, hoc est superborum, pars tertia, de qua descendit ecclesia. Et uidisti in uisione equos, & qui sedebant super eos habebant loricas igneas & hiacynthinas ac sulphureas.) Equos homines dicit, sessores spiritus nequā armatos igne & sulphure. Et capita eorum erant sicut leonum,) ad sæuiendum in persecutione. Ex ore eorum exiuit fumus, ignis & sulphur:) id est, blasphemiarum de ore eorum contra deum egrediuntur. Caudæ eorum similes serpētibus.) Caudas, præpositos dixit: capita, principes mundi. Et in his nocet.) diabolus, & sine his nocere non potest. Aut enim sacrilegi reges male iubendo, aut sacrilegi sacerdotēs male docendo nocent. Et uidi, inquit, alium angelum fortem descendentem de cælo, amictū nube, & iris,) id est arcus, In capite eius, & facies eius erat ut sol.) Amictus nube dominus intelligitur, amictus ecclesia. Legimus enim sanctos nubes, sicut Esaias dicit, Qui sunt hi qui ut nubes uolāt? Indutum itaq; nube spiritali & sancto corpore Christum intellige. Et iris super caput eius,) id est, uel iudicium quod fit & quod futurū est, uel promissio perseuerans. Ecclesiā enim describit in domino, dicens, Et facies eius sicut sol.) id est, de resurrectione, sicut sol apparuit quando à mortuis resurrexit. Et pedes eius sicut columnæ ignis.) Pedes, apostolos dicit, per quos in uniuerso mundo doctrina eius discurrit. Aut certe quia pes nouissima pars corporis est, ecclesiam dicit post ignem nouissimæ persecutionis futuram sanctorum claritatem. Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.) Id est, ad prædicandum trans mare, & in uniuerso orbe terrarum. Et clamauit uoce magna, quemadmodū leo rugit:) id est, fortiter prædicauit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua uoces suas,) quæ sunt & septem tubæ. Et audiui uocem de cælo dicentem, Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere,) propter obtundendos, ut non passim omnibus impijs pateant uerba dei. Alio deniq; loco propter seruos suos, Ne signaueris, inquit, uerba prophetiæ huius: & ostendit quibus signati iusserat, & quibus nō, Qui perseuerauerit, inquit, nocere, noceat: & qui in sordibus est, sordescat adhuc, hoc est, propterea in similitudinibus loquor illis, ut qui iustus est, iustiora faciat: & qui sanctus est, sanctiora, hoc est, uestri fideles oculi, quoniam uident, & aures quoniam audient. Istis non sunt signata uerba libri, malis autē signata sunt. Et iurauit angelus ille, quoniam tempus iam non erit:) sed in diebus septimi angeli, cum cœperit tuba canere. Septima tuba finis est persecutionis & aduentus domini, propterea dixit Apostolus, in nouissima tuba fieri resurrectionem. Quod autē sicut supra dictum est, Quinto angelo tuba canente, iterum

Esaiæ 60

Apoc. 22

1. Cor. 15